

et verus homo et vere quidem vtrumque, quorum vtrum ei detrahatur, desinit esse σωτήριος. Sicut pie scribit is, quem tu non magni facis,³⁷ martyr Christi Vigilius:³⁸ „Hic homo in coelum ascendit, vt ibi sit, vbi et quaeri illum iubet apostolus. Nam quod vbique est nusquam est et ne in coelo quidem“ et inde
 5 dicit symbolum id est de coelo, quo ascendit et vbi iam est, venturus est seu reuersurus in terras. Sicut enim [B 3v:] ascensione ei opus fuit, ut ibi esset, ubi non erat, ita, vt venire inde et reuerti possit, iam in coelis eum esse oportet et coelum occupare et, quod consequens est, coelo capi, quod occupauit. Quomodo enim reuertetur, qui iam adest? Et maiestas illa vestra, si iam eum
 10 praesentem facit, non habebit necesse, in terras reuerti sicut et in coelum ascensione non fuisset ei opus, si vbique atque ita tum etiam in coelo fuisset, cum tum etiam corpus circumferret glorificatum. Humana autem natura diuinam capere non potest et diuina, cum infinita sit, coelo etiam capi aut includi non potest, sed vbique est, vt psalmus etiam docet,³⁹ cum sit infinita, etiamsi
 15 Patrem coelestem Christo docente et in coelo Deum esse dicimus et Spiritum Dei in terras demissum. Humana igitur infinita non est amplius humana et quod fuit esse desijt. Secundum vestra igitur – quid de Christo ^ka nobis sublatum^k in coelum ascendit et quid iam de Christo in coelo est, quod inde in terras reuertatur? Sicut habet symbolum christianum.
 20 Atque vt vno verbo dicamus omnia: Nisi Christus est in coelo, nos non ibi erimus. Sicut enim, nisi e morte resurrexisset, nostra nulla esset a morte resurrectio. Ita et in coelum ascensio nulla, nisi ascendisset, neque πολίτευμα nostrum in coelo esse⁴⁰ posset aliquod et vita ibi aeterna, nisi ipse morte sua hoc sibi peperisset, vt ingrederetur in hanc gloriam suam, qua rex fieret et
 25 caput populi sui et iam esset ipse in coelo et inde venturus nos secum eodem extolleret sicut scriptum est: „fecit nos sedere in coelestibus cum Christo.“⁴¹ „Nemo enim ascendit in coelum nisi Filius Dei qui descendit“⁴² et in coelum reuertendo ascendit et qui iam ibi est et ad nos secum eodem euehentos inde est in terras reuersurus atque oportet, hoc etiam modo eiusdem formae nos
 30 esse cum imagine Filij Dei, vt in coelum ascendamus et transferamur. Haec non sunt uerba humanae sapientiae. Etsi de re non in-[B 4r:]stituimus disputationem in praesentia et aduersus eos, qui uero corpore Christum spoliant, et diuinitatem ei affingunt corporatam, corpus ei tribuendo Eutychnaeum, quod sit vbique, et, quod consequens est, nullibi ideoque etiam corpus verum
 35 nullum.

^{k-k} Nicht in A.

³⁷ Vgl. zur Kritik Selneckers an der christologischen Position des Vigilius: Selnecker, „Commonefactio“, A 5r–v, unsere Ausgabe, Nr. 4: Commonefactio (1571), 315f.

³⁸ Vgl. Vigilius Thapsensis, Contra Eutychem IV, in: PL 62, 123f.

³⁹ Vgl. Ps 139,1–12.

⁴⁰ Vgl. Phil 3,20.

⁴¹ Eph 2,6.

⁴² Joh 3,13.